

Witte S. 269 zu 1077.

asportare et rem episcopi communi usui mancipare ceperunt. Sed cum villicus qui ibi sorte horreo presidebat machinationi eorum obsistere et rem commissam etiam armis defendere vellet, illi non acquiescentes magnis eum affectum iniuriis Osnabrugge fugere compulerunt. Cumque id milites, quorum tunc ibi cum episcopo copia erat, suo more festinato impetu vindicare parassent, prudens episcopus suis se armis hanc iniuriam ulcisci velle respondit acceptaque stola continuo eos in ecclesia ut rerum ecclesiasticarum invasores banno ligavit se excommunicaturum illos minatus, nisi infra prescriptum terminum synodali iuri satisfacere vellent. Rusticos autem iusticiam suam iuramento defendere velle professos communi regionis huius consuetudine devicit dicens, se potius rem tanto tempore sine contradictione possessam iuramento advocati sui retinere debere, quam illos presumptione periurii violenter possessiones abstrahere alienas. Itaque super hac re die constituta advocatum suum nomine Meginbaldum, qui adhuc in extrema senectute apud Disnam est advocatus, homo probus et nobilis, secum adduxit, qui illico equo ascenso secumque quibusdam loci huius peritis assumptis, maxima populi multitudine cum episcopo congregata presente,

Vita cap. 19.

saccis asportare et rem episcopi propriam communi usui mancipare caeperunt, sed cum praefectus qui hic praesidebat machinationi eorum obsistere et rem commissam etiam armis defendere vellet, illi non acquiescentes magnis eum affectum iniuriis Osnabrugum usque fugere compulerunt. Cumque id milites, quorum tunc ibi cum episcopo copia erat, suo more festinato impetu vindicare parassent, prudens episcopus suis se armis hanc iniuriam ulcisci velle respondet acceptaque stola continuo eos in ecclesia ut rerum ecclesiasticarum invasores banno ligavit se excommunicaturum illos minatus, nisi infra praescriptum terminum synodali iure satisfacere vellent. Rusticos autem iustitiam suam iuramento defendere velle professos communi huius regionis consuetudine devicit dicens, se potius rem tanto tempore sine contradictione possessam iuramento advocati sui retinere debere, quam illos praesumptione periurii violenter possessiones abstrahere alienas. Itaque super hac re die constituta advocatum nomine Meginbaldum, qui adhuc in extrema senectute apud Disnam est advocatus, homo probus et nobilis, secum adduxit, qui illico equo ascenso secumque quibusdam loci huius peritis assumptis, maxima populi multitudine cum episcopo congregata praesente